
PETER
SEABY
B

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/theonkrisisivdic00pati

ΘΕΩΝ ΚΡΙΣΙΣ.

IVDICIVM PARIDIS,

DE TRIBVS DEABVS LATVM,

IN NVMISMATE IMP. ANTONINI PII EXPRESSVM.

EPISTOLA

CAROLI PATINI,

EQVITIS D. MARCI, DOCT. MEDICI PARIS.

& in Academia Patauina Medicinæ Profeſſoris.

PATAVII ; M DC LXXIX.

Typis Ioannis Baptiſtæ Paſquati.

Superiorum Permiſſu.

Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Cicero, pro Archia.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D.

D. ANGELO MAVROCENO,

DIVI MARCI PROCVRATORI,

Patrono ſuo optimo,

CAROLVS PATINVS.

NVmmus è cimeliarchio tuo depromptus ad Te redit, Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine, liceat enim nobis hac in re ſapientiſſimam rerum naturam imitari, quæ fontes omnes è ſine maris per terræ latebras deductas, eòdem recurrere voluit. Cui verò potiùs quàm Tibi redderemus, ad quem non dominij ſolùm ratione pertinet, ſed & obligationis illius jure, qua me Tibi totum jampridem penitus obſtrinxiſti ac mancipaſti. Non equidem locus hic eſt, vel laudum tuarum amplitudinem vel tuorum in me benefactorum magnitudinem condignè ſatis exornandi; neque etiam id mihi jam eſt propoſitum, illud ſolùm indicaſſe ſufficiat ſumma me voluptate affeciſſe præclarorum illorum Numiſmatum aſpectum, quæ cum ſtatuis alijſque antiquis ſignis & cimelijs, ex hæreditate FRANCISCI MAVROCENI, Patrui Tui, quondam accepiſti. Iunxerat enim ille ingentibus animi dotibus, & rerum bello pacèque geſtarum gloriæ, quibus certatim à ſingulis *PATER PATRIAE*, ab vniuerſis *IL DOGE* cognominari meruerat, harum quoque deliciarum noſtrarum amorem: Itaque cùm multum ornamenti hæc noſtra ſtudia tanti Viri acceſſione accepiſſent, ipſe viciſſim ab his, veluti mutui amoris indicio, honore non contemnendo eſt cumulatus. Cùm enim inter alia præclara facinora, Candiæ forum, quæ caput regni Cretici fuit, inſigni fonte exornaſſet, non longè poſt cętera quidem aliorum monumenta, quæ ibidem erant plurima, ſapientiſſimi Senatus Veneti decreto dejecta ſoloque affixa ſunt: Fonti huic ſoli tanquam pulcherrimo vrbis ornamento, atque herois illius MAVROCENI monumento vt parceretur juſ-

ſum eſt. Neque deterior illius fortuna ſub Turcis fuit, in quorum manus cùm Candia tandem peruenisſet, in alia quidem Venetorum monumenta ſæuitum, hoc veró intactum relictum eſt. Quod ſingulare pereximij fontis fatum meritò dignum eſt judicatum, vt nummis impreſſum ad poſteros tranſmitteretur: vt exinde diſcerent, FLVMEN aquæ limpidæ plus in hac ciuitate valuiſſe, quàm FVLMINA toties pro ejus ſalute ab Ioue regni quondam præſide in hoſtes contorta.

Ita æquum fuit in Nummis, ejus celebrari memoriam qui huius elegantiæ noſtræ ſtudium adeo in delicijs habuiſſet; quique theſauri ſui nummarij tam dignum tamque præclarum hæredem reliquiſſet. Quamvis autem quæ hujus theſauri ſit dignitas haud difficulter intelligas ipſe, faciendum tamen mihi eſſe putaui vt idem tecum & alij ſciant, quod alio in loco Διὸς σὺν παλάμα demonſtrabo vberiùs. Interim temporis vt ex κρασπίδος τὸ ὕφασμα, vt aiunt, dignoſcatur, vnicum, vt promiſi, Numiſma, veluti proluſionis loco, φιλαρχαίων oculis & examini diligentiori ſubijcere animus eſt. Quod vt fauente Te fiat, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, iterum iterumque contendo.

Nummus ille cujus expoſitionem præcipuè ſuſcepimus, æreus eſt primæ magnitudinis quam Itali vulgò *gran rame* nuncupant; ſpiſſior tamen ordinarijs, vt maximum modulum æmuletur, ac pro *medaglione* haberi poſſit. Nobili eſt obductus ærugine, ſeu, vt cum vulgo loquar, *patina verde*, quæ obſcurum ſmaragdum mentitur. Cæterùm virgo eſt: Virgines nuncupamus nummos qui nullius manibus duriùs attriti, quique nec ſcalpello, nec alio hujus generis inſtrumento, contrectati vel reſtituti, venerandæ antiquitatis ornamentis ſuperbiunt, nullo illiti fuco, nulla impoſtura. Cujuſmodi nummi quoties mihi offeruntur intuendi, ſtomachum mouere ſolet peruerſa illa corruptorum induſtria, quæ quanto

major

major eſt, & antiquitatem mentitur propiùs, eo majori reprehenſione dignam exiſtimo. Frequentes certé his in regionibus occurrunt nummi, aliud repræſentantes, aliud ſub larua, vt ita loquar, occultantes. Quoties nobis obiectus eſt Otho quem Neronem deprehendimus? Pertinacem, Did. Iulianum, ipſumque Peſcennium ſæpe exhibuerunt prophani ſacrorum noſtrorum violatores, vulpecularum inſtar, amœniſſimum Muſarum hortum deuaſtantes; hos quippe nummos pro Sept. Seuero agnouimus, promiſſa barba ab illis geſtari ſolita plus minùſue detonſa. Gordiano Pio ſeu tertio tres litteras addunt AFR, e quibus ſe Gordianum Africanum Circæa quadam arte produxiſſe arbitrantur. Æmilianum ex Philippi neſcio qua ſimilitudine fingunt, Tranquillinam ex Otacilia Seuera, ſuppoſitis interdum vt facie ſic tota inſcriptione. Tales cùm inſpicio, in mentem venire ſolet veterum Saturnalium mos, quibus fas erat ſeruis heriles geſtare veſtes, ac diſſimulata vili conditione dominationem imitari. Cui non abſimile quod in noſtris Saturnalibus quæ *Carnauale* vulgus nuncupat, fieri conſueuit, vbi etiam infimæ & abiectiſſimæ ſortis homines, quaſcunque induunt perſonas; atque ita ſumpta larua, nobilitatem quamdam ſibi conciliaſſe putant. Hos noſtri ſæculi dolos, fraudes, ineptias exprobrabunt lugebuntque poſteri, mirabunturque quod etiam ad iſta homines adigere potuerit auri ſacra fames.

Nummus autem ille, quem deſcribimus, adeo integer eſt, vt non malè in illum quadret quod de illibato virginitatis flore cecinit Catullus, *in carmine nuptiali*: quem locum quoniam in nummos quos ſcalpello interdum corrumpi diximus, mirè conuenit, huc tranſcribere lubet.

Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueris, nullæ optauere puellæ.
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara ſuis: Sed
Cùm caſtum amiſit, polluto corpore, florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

Scalpturæ elegantia illum præterea ſummopere commendat; mira enim eſt exſtantia, vt majorem nummi magnitudo perferre vix potuerit.

Antonini Pij facies primo ſtatim intuitu etiam tyronibus, parùm in hoc ſtudio verſatis, apparet, Numæ per omnia ſimillima: Adeo morum clementia ex ore ſuaviſſimo lucet. Adſcripti characteres illum ita declarant: ΑΥΤοκρατωρ Καισαρ Τιτος ΑΙΛιος ΑΝΤΩΝΙΝΟC CEBαστος: Hoc eſt, IMPerator Cæſar Titus AELius ANTONINVS AVGuſtus.

Auerſus nummus typo inſigni decoratus eſt, duobus ſolùm characteribus adſcriptis, L. E. annum quintum indicantibus. Verùm cùm ex illis alter latinus videatur, alter græcus, non parùm negotij Antiquarijs hactenus fecit hæc diuerſitas; cùm non ſatis conſtet & cur L latinum pro græco lambda Λ ſuppoſitum ſit, & cur annum ſignificet. Illius ratio-

nem aliam non reperio, nisi dicere velimus Ægyptios figuram hanc ab antiquissimis temporibus acceptam in numerandis annis retinuisse; cùm satis constet etiam latinas litteras suas, inque ijs & L, ab antiquis Græcis petijsse. Iam autem annum λυκάβαντα ijsdem temporibus dictum fuisse tum ex Homero manifestum est, apud quem verbum hoc sæpiùs, ἔτος verò, vt recentius, nunquam occurrit; tum auctoritate Macrobij qui *l.* 1. *Saturn.* ita scribit: *Annum à vetustissimis Græcorum* λυκάβαντα *appellatum* τὸν ἀπὸ τοῦ λύκου *id est Sole* βαινόμενον καὶ μετρούμενον. Λύκον *autem Solem vocari etiam Lycopolitana Thebaïdos ciuitas testimonio est; quæ pari religione Apollinem itemque lupum, hoc est* λύκον, *colit, in vtraque Solem venerans, quòd hoc animal rapit & consumit omnia in modum Solis.* Volunt alij λυκάβαντα dictum ab æquali luporum gressu, æquali semper periodo recurrentem. Quæ ratio cùm quibusdam nimis videatur frigida, si quis velit, in eam possit apud Grammaticos exactiùs inquirere. Primis autem Antoniniani imperij annis cusum hunc nummum fuisse certum est, tum ex appositis adoptiui parentis cognominibus, Titi Aelij Hadriani, *quæ sibi initio imperij sumpserat*; tum ex non inscripto PATRIS PATRIÆ nomine, in posterioribus illius nummis obuio, *quod delectum à Senatu primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit*, inquit Capitolinus. Liceat enim mihi in argumento simili rationibus ijsdem vti, quibus nuper V. Cl. Io: Petrus Bellorius in alius cuiusdam Antoniniani nummi explicatione vsus est, in quo Senatus Populus Que Romanus Annum Faustum Felicem Novum OPTIMO PRINCIPI PIO precatur.

Quo in loco cusus sit nummus, obscurum est, nullo eum prodente vel charactere vel indicio alio: cùm in plerisque frequenter occurrant nomina ΕΦΕΣΙΩΝ, ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, scilicet *Ephesiorum, Pergamenorum*, aut *Smyrnæorum*, suum erga Imperatorem affectum atque obsequium declarantium. In Asia porrò percussum fuisse fortè suspicari licet ex insigni scalpturæ artificio, plurimùm à Romana discrepante; tametsi vtrique sua sit præstantia, suus honos, vt vtra alteram superauerit, iudicare sit difficillimum. Addam tamen hic eximij ac Regij pictoris Caroli le Brun hac de re iudicium, à quo non semel audiuisse memini, Græcos plus roboris, Romanos plus decoris suis statuis ac monumentis adhibuisse. Asiaticum deinde nummum iuvare potest Asiæ proconsulatus, quem referente Capitolino, sic egit Antoninus, *vt solus auum*, Trajanum scilicet, optimum quantumvis principem, *vinceret*. Optarem quidem adscriptos esse Troianos, quos interdum in nummis antiquis animaduertimus cum ΙΛΙΕΩΝ atque ΔΑΡΔΑΝΙΩΝ ἐπιγραφῇ: ad eas quippe auersi nummi typus referri facile posset, vt alter ille eiusdem

dem Antonini ex ære magno, & alter meus Commodi ex medio, à Colonia Latina Iulia CORintho percussus, in quibus Æneas ab incensa Troia fugere videtur, Anchisem humeris gestans sacra sua tenentem, dextera Iulum phrygio galero ornatum ducens: quam rem præter alios plures fusiùs recencet Dion Halycarnass. *l.* 1. ἀρχαιολ. Ρωμ. tum latinorum poëtarum princeps, *l.* 2. *Æneid.* Ad eosdem Trojanos Antonini nummos tres, inter nostros ex ære mediocri cusos, *pag.* 214. referri ipsa res probat, Romanæ scilicet gentis originem á Trojanis per Æneam deductam significantes, de qua isti summopere gloriabantur. His addamus alium nummum Sept. Getæ, cum inscriptione rarissima ΔΑΝΙΔΑΝΙΩΝ, eandem Æneæ pietatem referentem: ad cujus intelligentiam facit quod notat Strabo, *geogr. l.* 13. *Dardanicam regionem quæ in campo Trojano est, Æneæ fuisse subditam*, idque post Homerum, *in catalogo*.

ΔΑΝΑΝΙΩΝ ἄυτ' ἦρχεν ἐΰσ παῖς Αγχίσαο.

Dardanios regit Anchisæ pulcherrima proles.

Dictis nummis subjungamus & istos raritate præstantes & ad rem nostram facientes, quibus & quartus è V. Nob. Tristani commentarijs addi posset, simili typo cum Iliensium nomine insignitus; Palladem quippe parte altera refert, addito titulo ΙΛΙΕΩΝ. Denique hujus argumenti nummi & alibi in libris nostris tam impressis quam imprimendis frequentiùs conspiciuntur.



Nec deesset conjecturæ locus si quis Trallianos nummi nostri autores suspicari vellet: Horum quippe nomen ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ legitur in nummo ejusdem Antonini, in quo Iuppiter sub aquilæ specie ad dormientem Ganymedem vnguibus apprehendendum atque in cœlum deportandum se accingit. Scenæ enim idem locus fuit Ida, Phrygiæ mons, tum pincernæ Ganymedis raptui, ex Ouidio, *met. l.* 10. Strabone, *l.* 13. & Luciano

in

in ΘΕΩΝ ΚΡΙΣΕΙ, tum judicio Paridis de Deabus lato, quod in hoc noſtro nummo exprimi credimus. Quin & Venerem ad Anchiſem frequenter τῆς συνοικήσεως ἕνεκα veniſſe refert Lucianus, *loco cit.* Iunonem inducens ita Venerem alloquentem: Σὺ γαρ ὡς τὸ εἰκὸς, ἔμπειρος εἶ τοῦ χωρίου, πολλάκις, ὡς λόγος, κατελθοῦσα πρὸς Ἀγχίσην: Hoc eſt, *Tu verò, vt decet, locorum peritus es, quippe quæ ſæpius, vt fertur fama, huc ad Anchiſem deſcenderis.* Alium quidem Cretæ *montem celſiſſimum* Idam eſſe nouimus, in quo Pythne ſacra ædificata eſt ex Strabone, *l.* 12. Huic Phrygium Idam ſuum debere nomen cenſent nonnulli, vt Strabo, *l.* 10. alij Phrygio Cretenſem, vt Diodorus Siculus *l.* 5. *p.* 235. Addam his ejuſdem Diodori verba ex libro 17. vt pote argumentum noſtrum valde illuſtrantia: *In Idæ Phrygiæ montis eminentiſſimi medio, exſtructum antrum eſt Dijs accipiendis opportunum. In eo Alexander de tribus Deabus judicium habuiſſe dicitur.* Eiuſdem antri meminit Lucianus, *loco cit.* & Strabo, *l.* 12. his verbis, *locus eſt prope Idam in Troade nominatus Alexandria, in quo fertur Paridem judicaſſe Deas*: Ἔστι δὲ τόπος ἐν τῇ Ἰδῃ τῇ Τροικῇ, Ἀλεξάνδρεια λεγόμενος, ἐν ᾧ φασὶ τὸν Πάριν διακρίναι τὰς Θεάς. Sed ad Trallianos redeo. Obſeruat Capitolinus, Antoninum Pium in Aſiæ proconſulatu ſic imperij omen accepiſſe: *Nam cùm Sacerdos Gemina, TRALLIS ex more Proconſules ſemper hoc nomine ſalutaret, non dixit Aue Proconſul, ſed Aue Imperator.* Hæc de Trallianis. Verumtamen potius eſt vt dicamus nec ab his, nec a Dardanijs, aut Ilienſibus, ſignatum eſſe numiſma, ſed à ciuitate quadam Ægypti, Antonino Imperatori, qui Romanam originem plurimis alijs nummorum monumentis concelebratam reliquit, ſymbolo hoc adulante. Idque inſcriptus imperij annus, qui mos Ægyptiorum fuit, euincere videtur: tametſi hæc cælaturæ præſtantia excedat formæ conſuetam Ægyptiorum nummorum formam; vt ita ſtante hac noſtra opinione, à perito artifice, in principe quadam ciuitate, qualis Alexandria fuit, nummum hunc percuſſum eſſe dicendum ſit.

Iam ad rem ipſam veniamus, & quid figuræ hæ ſibi velint exponemus. Heic equidem videre mihi videor Mercurium ſiniſtra caduceum tenere, dextra Paridem deducere ad tres Deas, judicium expoſtulantes. Paris galero Phrygio ornatus pomum dextra tenet, quod harum formoſiſſimæ, Ioue ſic jubente, donaturus eſt. In Idæ vertice ſedet Iuno Dearum Regina, haſtam puram pro more tenens quæ antiquiſſimis temporibus ſceptri loco fuit: Hinc illinc ſtantes cerno Venerem Pallademque, armatam hanc galea & haſta, illam verò, vt ſolet, nudam. In radice montis ſeu collis, inter arbuſta fruticeſque, taurus manifeſte dignoſcitur, ac fortaſſis etiam mus; quæ omnia ſigillatim perpendenda veniunt.

Ac

Ac primùm quidem Hygini fabulam cui titulum fecit PARIDIS IVDICIVM huc transcribere non abs re puto. Hunc enim potius quàm alium vllum, ex tanta Scriptorum turba, qui fabulam hanc & celeberrimum illud excidium Troiæ scriptis prodiderunt, & commentis impleuerunt, vt producam facit maximè, quod ille Antonini Aug. cujus nummum explicandum suscepimus, libertus fuisse feratur, vt vir doctiss. Io. Schefferus suis in illum lucubrationibus fecit manifestum.

Fabula *XCII. PARIDIS IVDICIVM.*

Iouis, cùm Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes Deas conuocasse, exceptâ Eride, id est, Discordia; quæ cùm postea superuenisset, nec admitteretur ad epulum, ab janua misit in medium, malum; dicit quæ esset formosissima attolleret. Iuno, Venus, Minerua, formam sibi vindicare cœperunt, inter quas magna discordia orta. Iouis imperat Mercurio vt deducat eas in Ida monte ad Alexandrum Paridem, eumque jubeat judicare. Cui Iuno, si secundum se judicasset, pollicita est in omnibus terris eum regnaturum, diuitem præter cæteros præstaturam. Minerua, si inde victrix discederet, famosissimum inter mortales futurum, & omni artificio scium. Venus autem Helenam Tyndarei filiam, formosissimam omnium mulierum, se in conjugium dare promisit. Paris donum posterius prioribus antepositi, Veneremque pulcherrimam esse judicauit: ob id Iuno & Minerua Trojanis fuerunt infestæ. Alexander Veneris impulsu Helenam à Lacedæmone ab hospite Menelao Trojam abduxit, eamque in conjugio habuit, cum ancillis duabus Æthra, & Thisadie, quas Castor & Pollux captiuas ei assignarant, aliquando reginas.

Post annos aliquot quam hæc scripserat Hyginus, suo modo enarrauit græcus ille Deorum contemptor, Lucianus, dialogo cui ΘΕΩΝ ΚΡΙΣΙΣ titulus est, DEARVM IVDICIVM. Is certè ita ingenuus est ac facetus, vt non fabulam sed historiam diceres. Quoniam tamen longior est, quàm epistola commodè possit includi, illum Tibi horis subciniis, si quando Sereniss. Reipublicæ cura, has Tibi vllas esse concedit, legendum commendo. Hic saltem particulam ejus aliquam commemorare liceat, Numismatis tui interpretationem propiùs spectantem.

IVPPITER. Mercuri, accepto hoc pomo, abi in Phrygiam ad Priami filium, pastorem, pascit autem in Ida monte, &c. Certaminis formæ præmium, Deæ quæ vicerit, pomum accipiat, &c.

MERCVRIVS. Procedamus rectà versus Phrygiam: Noui ego Paridem hunc, adolescens est formosus, amori deditus, & ad talia disceptanda maximè idoneus.

MERC. Iunonem, Pari, & Mineruam & Venerem vides, & me Mercurium, videlicet Iupiter ad Te misit. Sed quid tremis & expallescis? ne metue: nihil enim periculi hic. Iubet autem te judicem esse pulchritudinis ipsarum. Certaminis autem præmium scies lecto hoc pomo. PARIS. Cedo vt videam, quid sibi etiam velit, H ΚΑΛΗ ΛΑΒΕΤΩ, PVLCHRA CAPIAT.

PARIS.

PARIS. Nudas videre volo. MERCVRIVS. Exuite heus Vos : Tu verò inſpice eas ; Ego interim auertam me. VENVS. Rectè, ò Paris, atque prima certè exuam me. PARIS. O Iuppiter monſtrifice, quod ſpectaculum ! quæ pulchritudo ! quæ voluptas ! qualis virgo hæc !

At hæc ex Luciano excerpſiſſe ſufficiat. Perſonas in nummo ſignatas inueſtigemus. Mercurius primus occurrit. *Iouis & Maiæ filius, id eſt mentis & prudentiæ, nam ex mente & prudentia oritur oratio*, inquit Georg. Codinus de origin. Conſtantinop. Nam juxta Iamblicum, *Mercurius præeſt ſapientiæ & eloquio*. Deorum natu minimus, quia non ſeneſcit oratio. *Mercurius á mercibus dictus eſt*, ait Feſtus, *hunc enim negotiorum omnium exiſtimant Deum*. Audiamus Fulgentium, lib. 1. mythol. *Galero, cooperto capite pingitur, quòd omne negotium ſit ſemper abſconſum. Pennata habet talaria, quòd negotiantium pedes vbique pergendo quaſi pennati ſunt*. Virgam ſerpentibus intextam præter Homerum, *Odyſſ.* ε & ω. Horatium, *l.* 1. *carm. od.* 10. & Macrobium, *Saturn. l.* 1. *c.* 19. præcipuè celebrat Virgilius, 1. *Æneid.*

Tum virgam capit, hac animas ille euocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit.
Dat ſomnos adimitque, & lumina morte reſignat.
Illa fretus cogit ventos, & turbida tranat
Nebula.

Illam ex auro conflatam dicunt, vnde χρυσόῤῥαπις Ερμῆς : Eamque geſtaſſe dum Paridem alloqueretur, teſtatur Ouidius in Paridis epiſtola ad Helenam conſcripta.

Inque Dei digitis aurea virga fuit.

Graphicè illum depingit Apuleius, *lib.* 1. *Aſini aur. Adeſt luculentus puer, nudus niſi quòd ephebica chlamide ſiniſtrum tegebat humerum flauis crinibus vſquequaque conſpicuus : Et inter comas ejus aureæ pinnulæ cognatione ſimili prominebant, quem caduceus & virgula Mercurium indicabant*. Quæ certè omnia mirè huic noſtro nummo conueniunt, in quo Paridem ille alloqui videtur, plane vt cecinit Ouidius, *in epiſt. ad Helenam*

—— —— pone metum, nuncius ales ait.
Arbiter es formæ, certaminis eſſe Dearum,
Vincere quæ forma digna ſit vna duas.

Talia ſentiens Paris Mercurium præeuntem ſequitur, quem contra vulgatam fabulæ famam ad Deas accedentem finxit monetarius, aut vt ſuas figuras elegantiùs diſponeret, aut Dearum pudori quodammodo conſuluiſſe videretur, Paridem potiùs ad Deas deducendo, quam iſtas ad Paridem. Simili ferè artificio vſus eſt Lucianus, *loco cit.* fingens Mercurium Deabus ſuadentem, *priùs ſe demitti ac pedibus iter facere, ne contarbaretur paſtor, ſuperné ex improuiſo deuolando*. Quo veſtitus genere indutus ſit paſtor noſter, non latis perſpicio : veriſimile tamen eſt eodem veſtitu

fuiſſe.

fuiſſe vſum, quo Eumæum Vlyſſis bubulcum inducit Homerus, *Odyſſ. l. 14.* Ibi poſtquam illum pedibus aptaſſe calceamenta è pelle bouina ſcripſiſſet, paulo poſt ſubjungit:

Ὣς εἰπὼν, ζωστῆρι θοῶς συνέεργε χιτῶνα.
Βῆ δ' ἴμεν ἐς συφεοὺς, ὅθι ἕθνεα ἔρχατο χοίρων.

Hoc eſt,

Sic locutus cingulo celeriter coërcuit tunicam:
Porrexit autem ire ad ſuilia vbi grex continebatur porcorum.

Pileum autem in nummo noſtro accuratè expreſſum videre eſt, id eſt galerum Phrygium, quo & Deum Lunam, & Ganymedem, & ipſam Phrygiam in nummis atque lucernis decoratam videmus. Hujus pilei figuram quoties conſidero, in mentem venire ſolet illius tiaræ ſeu galeri, quo Sereniſſimi Venetiarum Duces caput ornare conſueuerunt, quodquidem geſtamen *Corno* vulgò nuncupant. Proximè profectò accedit ad galeri illius Phrygij formam, caput enim circum circa fouet & cingit, eſtque, vt ille, cuſpide acuminata in anteriorem partem molliter reflexa. Nec inſolitum videbitur exactiùs rem perpendenti, Venetos orientalis imperij ac ipſius Conſtantinopoleos olim dominos, & mores & veſtimentorum genera, & conſuetudines aliquot iſtorum populorum in ciuitatem ſuam admiſiſſe. Cæterùm hæc aliam ſcribendi occaſionem aliudque tempus poſtulant. Redeamus ad Paridem noſtrum: Is quiſnam fuerit ex Hygino iterum audiamus, cujus hæc ſunt verba.

Fabula *XCI. ALEXANDER PARIS.*

Priamus Laomedontis filius cùm complures liberos haberet ex concubitu Hecubæ, vxor ejus prægnans in quiete vidit ſe facem ardentem parere, ex qua ſerpentes plurimos exiſſe. Id viſum omnibus conjectoribus cùm narratum eſſet, imperant quidquid pareret, necaret; ne id patriæ exitio foret. Poſtquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interficiendus, quem ſatellites miſericordiâ expoſuerunt, eum paſtores pro ſuo filio repertum, expoſitum educarunt, eumque Parim nominauerunt. Is cùm ad puberem ætatem peruenisſet, habuit taurum in deliciis: quò cùm ſatellites miſſi à Priamo vt taurum aliquis adduceret, veniſſent, qui in athlo funebri, quod ei fiebat poneretur, cœperunt Paridis taurum abducere: Qui perſecutus eſt eos & inquiſiuit quò eum ducerent? Illi indicant ſe eum ad Priamum adducere, qui viciſſet ludis funebribus Alexandri. Ille amore incenſus tauri ſui, deſcendit in certamen, & omnia vicit, fratres quoque ſuos ſuperauit. Indignans Deiophobus gladium ad eum ſtrinxit, at ille in aram Iouis Herczi inſiluit; quod cùm Caſſandra vaticinaretur eum fratrem eſſe, Priamus eum agnouit, regiàque recepit. Præcellenti forma illum fuiſſe teſtatum reliquit antiquitas. Idem Hyginus, *fab. CCLXX. Qui formoſiſſimi* fuerunt, hæc verba refert: *Alexander Paris Priami filius & Hecubæ, quem Helena ſecuta eſt.* Dares Phrygius Paridem ſæpe viderat quem ita deſcribit, de excidio

excidio Trojæ, l. 4. *candidum, longum, fortem, oculis pulcherrimis, capillo flauo & molli, ore venusto, voce suaui, velocem, cupidum imperij*: quæ omnia a Dione Chrysostomo iterantur, orat. XX. & à Corn. Nepote elegantissimis carminibus Daretem interpretante. Hinc ipse Paris satis etiam sibi placebat, eumque ideo venustissimus Poëta in hæc verba prorumpentem facit, *Epistola ad Helenam*:

Vtque ego Te cupio sic me cupiere puellæ,
Multarum votum sola tenere potes.

Neque laborauit incassum cùm Helenæ amorem sibi conciliauerit, quod Lucianus, loco cit. *donum Veneris* facit, ita enim illa apud Ouidium:

Est quoque, confiteor, facies tibi rara, potestque
Velle sub amplexus ire puella tuos.

Quin & Paridi egregia forma vituperio data est, vt pote ignauo ac imbelli hominum generi magis conueniens: Inde Hector iratus apud Homerum, *Odyss. β.* & *Iliad. γ.* eum per contumeliam *speciosissimum forma* nuncupat, εἶδος ἄριστον & *mollibus bellis aptiorem*. Hunc tamen fortem fuisse & bellicosum ex pluribus locis alijs manifestum est: Ipse Homerus, Iliad. VI. *fortem* illum nominat, ἐπεὶ ἄλκιμος ἔσσι. *Diomedem ab ipso percussum* recenset, *Machaonemque ab eodem vulneratum*, Iliad. XI. *Menelai femur sagitta transfixit*, inquit Dares Phrygius, *& Palamedem regem de Sarpedonis morte gloriantem sagitta in collum immissa necauit. Antilochum interemit, ipsumque Achillem* Græcorum fortissimum *multis plagis confodit*. Iuvenis cùm pastor esset Priami filios, fratres quidem suos, in certamine vicerat, vt ex Hygini fabula supra descripta manifestum est. Quo loci referenda est ejusdem fabula CCLXXIII. *Qui primi ludos vicerunt. Fecit in Ilio Priamus cenotaphium Paridi, quem natum jusserat interfici, gymnicos: In quibus certati sunt cursu Nestor Nerei filius, Helenus Priami filius, Deiphobus eiusdem, Polites ejusdem, Telephus Herculis filius, Cygnus Neptuni filius, Sarpedon Iouis filius, PARIS ALEXANDER pastor Priami ignarus filius. Vicit autem PARIS & inuentus est esse Priami filius*. Infeliciter quidem *cum Menelao pugnauerat, dum illum à pugna Venus eripuit*, aut cùm *à Philoctete sagitta percussus occubuit*, narrante Hygino, *fab. CXII.* At hæc aduersæ fortunæ adscribantur, non ignauiæ: Audiamus Daretem, *Excidij Trojani lib. 6.*

—— —— *Produxerat ardens*
Mygdonios in bella Paris, jamque agmine toto,
Maximus innumeris fratres aquere triumphis
Destinat; augescunt animi, majorque videtur
Ipse sibi: laxat arcus & tela superbit
Spargere morte morte alia, majoribus vtitur armis, &c.

Non

Non itaque fortitudini officiat egregia forma ac oris dignitas, quam vtramque in ſuis Heroibus commendat Homerus, *Odyſſ. lib.* XI. Achille & Ajace, quibus noſtrum Alexandrum Paridem adjungere non dubitamus. Interdum etiam Δῖος Αλέξανδρος *Divus Alexander* nuncupatus eſt, *Iliad. l.* 3. & Αλέξανδρος θεοειδὴς *Alexander Deo par*, *Iliad. l.* 6. è quibus omnibus facilè colligitur Paridem maximis fuiſſe præditum dotibus, nec timiditatis incuſandum. Sed de eo hactenus.

Ad Idam accedamus tribus Deabus ſuperbientem. Iuno Reginæ habitu, ac ideo ſedens inter Palladem & Venerem ſtantes, conſpicitur; Hoc enim titulo maximè gloriabatur,

Cur igitur Regina vocor, Princepſque Dearum?
Aurea cur dextræ ſceptra dedere meæ?

apud Ouidium, *lib.* 6. *Faſtor.* Et apud Virgilium, *lib.* 1. *Æneid.*

Aſt ego quæ Divum incedo Regina, Iouiſque
Et ſoror & conjux.

A juvando dicta eſt, ideo & regnis præeſſe dicitur, quòd hæc vita diuitijs tantùm fludeat. Ideo etiam cum ſceptro pingitur, quòd diuitiæ regnis ſunt proximæ: Velato etiam capite Iunonem ponunt, quod omnes diuitiæ ſint ſemper abſconſæ. Hæc Fulgentius, *mythol. l.* 2. quæ omnia in Numiſmate noſtro ſunt conſpicua. Iunonis autem verba quæ nummus exprimere non potuit, à Darete Phrygio conficta huc apponemus, è libro 2. de bello Trojano:

Venimus in ſaltus Phrygias, ò Dardane, veni
Magni nupta Iouis, venit Mauortia Pallas,
Venit blanda Venus —— —— ac tandem,
—— —— *quacumque fluat ſententia, noſti*
Iunonem placuiſſe Ioui, juſtiſſime judex,
Cenſorem ne ſperne Iouem: Sic alta profando,
Reginæ multùm meminit, vultumque ſuperbum
Vocibus ingeſſit.

Hujus ſollicitudinem de certaminis euentu riſiſſe videtur Dio Chryſoſt. *orat. XI. Graue eſt Ioui nuptam non exiſtimaſſe ſuam ipſius formam eſſe ſufficientem, niſi etiam placeret bubulcorum vni.*

A Iunonis læua ſtat Pallas, armata quidem & ornata tum lancea, tum galea. Illam ſic deſcribit Fulgentius, *mythol. l.* 2. *Mineruam ideo de Iouis vertice natam dicunt, quia ingenium in cerebro poſitum ſit, ideo armatam quòd munita ſit. Criſtam cum galea ponunt, vt ſapientis cerebrum & armatum ſit & decorum. Triplici etiam veſte ſubnixa eſt, ſeu quòd omnis ſapientia ſit multiplex, ſiue etiam quòd celata. Longam etiam haſtam fert, quòd ſapientia longè verbo percutiat.* Hæc profectò in Numiſmate exprimuntur. Deam deinde quaſi orantem cernimus, compellan-

 temque

temque Paridem, vt sibi formæ præmium concedat. Ejus rationes ex Darete, *loco cit.* audiamus:

—— —— haud sine dote Minerua.
—— —— —— à Ioue sanguis.
Virginitas me sola juvat, nil passa pudendum;
Non læsura thoros, non deprensura maritos.
Macte Paris, mea bella viri, mea pensa puellæ,
Et mea laurigeri meditantur carmina Vates.
—— —— —— —— Mineruam
Accipe plus tacitè meritam quàm voce sequntam.
Virtutum custos, virtutum præmia Pallas.
—— —— formæ titulum si virgo meretur
Annue, & Iliacum, judex, ne despice fatum.

Demum Venus a dextra stat Iunonis, *nudo quidem & intecto corpore perfectam formositatem professa*, vt cum Apuleio loquar, lib. X. Asin. aur. *nisi quòd tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem: quamquidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciuiens reflabat; vt dimota pateret flos ætatulæ: nunc luxurians adspirabat, vt adhærens preßulè, membrorum voluptatem graphicè laciniaret.* Nuditatis ejus rationem exprimit Fulgentius, mythol. lib. 2. *siue quòd nudos sibi affectatores dimittat, siue quòd libidinis crimen nunquam celatum sit, siue quòd nunquam nisi nudis conueniat.* Altercatio Hadriani Imp. atque Epicteti philosophi, elegans certè est: *HADR. Quare Venus nuda pingitur? EPICT. Nuda Venus picta, nudi pinguntur Amores: Quibus nuda placet, nudos dimittat oportet.* Ouidius quidem illam sæpè nudam exprimit, *lib. 3. art. am.*

Nuda Venus madidas exprimit arte comas.

& in epist. Didonis ad Æneam, *quia mater Amorum*:

Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Nec prætereundus locus Arnobij, lib. 6. *Venus nuda ac aperta depingitur, ac si dicas illam publicare ac diuendere meritorij corporis formam.* Denique agmen hoc testimoniorum claudat Lucianus, *in amoribus*, vbi de Venere Cnidia Praxitelis: Η μὲν οὖν θεὸς ἐν μέσῳ τῷ ναῷ καθίδρυται καὶ τ'.λ. Hoc est, *In medio templo Dea posita est ex Pario marmore, opus sanè pulcherrimum, & diducto ore paulùm subridens. Tota autem ejus pulchritudo detecta, nulla veste ipsam tegente: nuda conspicitur, nisi quòd oblita sui, altera manu pubem obtegat.* Ea quidem ipsa tantæ erat famæ vt scripserit Plinius, *l. 38. c. 10. eam vt viderent multos nauigasse Gnidum.* Tandem etiam Deam hanc loquentem audiamus, & rationes suas proferentem apud eundem Daretem:

—— —— Venus tandemque profatur
Mæsta parùm, sed blanda oculis & fronte serena.
Elos juvenum, spes nostra, PARIS, = = =

nostri

——— ——— nostri sine cæde triumphi.
Munus habe Veneris, munus quo Sparta superbit.
——— ——— simulem judex ne despice vultùm:
Sic effata genas rapto depromit amictu.
Nuda humeros, exerta sinus, totoque diescit
Ore. Pudet Diuas Veneri cessisse triumphum.

Hæc ita Deas dixisse fingunt poëtæ, verecundiùs tamen alij, cùm ad expetitum judicium deuentum est.

Tresque simul Diuæ, Venus & cum Pallade Iuno,
Graminibus teneros imposuisse pedes.

Mirificè deindè Ouidius, *in epist. Paridis ad Helenam*, nutantem pastoris animum exprimit:

Vincere erant omnes dignæ, judexque verebar
Non omnes causam vincere posse suam.

Etenim ille ab vna ad aliam adspectum transferendo, à neutra se auertere valebat, vicissimque pomum tribuere singulis destinabat, adeo *formosæ pariter illi videbantur*, inquit Lucianus, *loco cit.* Αὗται δὲ πᾶσαί τε ὁμοίως καλαὶ. Dubitationem adaugebat promissorum amplitudo: *Ouid. loco cit.*

Regna Iouis conjux, virtutum filia jactat,
Ipse potens dubito, fortis an esse velim.
Dulce Venus risit, &c.
Nos dabimus quod ames.
Vnaque cùm regnum, belli daret altera laudem,
Tyndaridis conjux, tertia dixit, eris.

Ἄρουν ἐπὶ τούτοις δίδωμι τὸ μῆλον, ἐπὶ τούτοις λάμβανε: *ob hæc igitur do tibi pomum, ob hæc accipe*, inquit Paris, Luciano autore.

Idæ montis collem non malè designat nummus hic, arboribus fruticibusque obsitum, qualem pingit Ouidius, *loco cit.*

Est locus in mediæ nemorosis vallibus Idæ
Deuius, & piceis ilicibusque frequens.

Quin & rupes animaduertere non est difficile quarum mentionem facit Lucianus, *loco cit.* dum Mercurius ita Iunonem alloquitur: *An non vides bucculas ex medijs rupibus progredientes, & quemdam à scopulo deorsum currentem, pedum tenentem?* Scalptoris diligentiam vltrò mirari locus est, qui nihil quod totam aperiret fabulam prætermisisse videtur. Taurus quippe manifestè inter pascua conspicitur, quem minimè dubito eum esse quem Paris in delicijs habuit, pro quove certauit, Priamique filios vicit, de quo supra, ex Hygini fabula XCI. Obscuriùs quidem conspicitur in ima nummi parte animalculum aliud, quod si ad murem referri

 posset,

posset, de illo liceret aliquid conijcere. Nam Clemens Alexandrinus προτρεπτ. p. 25. peculiarem Phrygum religionem ita exponit: *Polemo refert, incolas TROADIS mures indigenas, quos σμίνθους vocant, colere, quòd arcuum hostilium neruos corrosissent: Et Apollinem ab his* Sminthium *nuncupari.* Illustrat id Strabo, *lib.* 13. statuæ illius Dei mentione facta, *Erat autem mus sub pede Apollinis.* Muris autem cultus non primùm hic prodierat; Narrat quippe Herodotus, l. 2. c. 141. *Sennacheribum Assyriorum regem, Asiâ subactâ, Ægypto bellum intulisse: Sethonem verò ex Vulcani sacerdotibus, Ægypti regem, viribus imparem ad officia pietatis conuersum, somnio fretum, in Peluſio castra posuisse: Illinc murium agrestium vim noctu hostibus effusam esse, qui illorum pharetras arcus & scutorum habenas comederunt; ita vt hostes die posterâ armis exuti fugam fecerint, multis amissis.* Sethoni regi statuam lapideam in templo Vulcani positam se vidisse affirmat Herodotus, *cujus in manu mus erat cum hisce litteris, IN ME QVIS INTVENS PIVS ESTO.* Quidni & Trojæ ἄλωσιν Phryges hoc muris hieroglyphico designauerint? Ægyptij enim *destructionem significantes murem pingunt, quia omnia consumens inquirat & deperdit:* Ἀφανισμὸν δηλοῦντες μῦν ζωγράφουσι, ἐπειδὴ πάντα ἐσθίων μιαίνει καὶ ἀχρηστεῖ: ex Horo Apolline, *l.* 1. *c.* 47. Si quis tamen animal hoc in nummo conspicuum, de pecude ad gregem Paridis spectante velit interpretari, liberum erit nec ego repugnabo.

Ab argumento nostro alienum non erit paucis injungere quosdam Homeri commentatores, in quibus Spondanus, opinari Paridis de tribus Deabus judicium ab Homero non agnitum fuisse, cùm ille diuersas ipsis dotes passim tribuerit, quàm vulgò fama ferebat, antiquamque θεολογίαν incertam dubiam ac futilem exposuerit, quam solertior cautiorque distinxit posteritas. Conjecturæ fauet Plutarchus, subreptitia esse censens hæc carmina, *Iliadis* 24.

——— ——— ——— Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης,
Ὅς νείκεσσε θεάς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο.
Τὴν δ' ἤνησ' ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλιγείνην.

Hoc est,

——— ——— ——— *Alexandri propter damnum*
Qui contempsit Deas, *quando ad ejus tugurium iuerant:*
Hancque laudauit quæ ei præbuit libidinem tristem.

Hæc sunt Plutarchi verba: Τοῦ δὲ τρωικοῦ πολέμου καὶ τ' λ. Hoc est, *Trojani autem belli occasionem quidem hanc fuisse perhibent. Quòd Alexander de tribus Deabus Iunone Minerua & Venere propter formæ elegantiam inter se contendentibus, sententiam dixerat: Sic enim Poëtam canere,*

ὅσ

ὡς νείκεσσι θέας &c. Sed profectò indecorum esset suspicari Deos ab hominibus judicari, præsertim cùm nusquam alibi Homerus id asserat. Quo fit vt prædicti versus meritò rejecti sint, &c. Verùm pace tanti Scriptoris liceat nobis Nummi nostri auctoritatem sequentibus, ab illo dissentire, atque afferre in contrarium opiniones clarissimorum hominum ac poëtarum, superiùs à nobis laudatas, & temporum vsu receptas. Iuno certè ac Minerua semper Græcis propitia fuere numina, & Venus Trojanis, quod ex innumeris Homeri locis, præsertim Iliad. lib. 5. comprobatur:

Iuppiter in Trojam, pro Troja stabat Apollo;
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Quæ omnia iratorum numinum vindictam aut gratificantium fauorem ob judicij exitum manifestè declarant.

Iudicium deinde Paridis ac excidium Trojæ versu 5. Iliadis designatum multi autumant, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλὴ: Hoc est, *Iouis autem perficiebatur consilium*. Eius vetustissima historia exstat apud Stasimum Cypriorum carminum auctorem, Eueclo a Greg. Giraldo tributa, quæ sic se habet. *Terram ferunt, cùm hominum multitudine grauiter premeretur, nulla tamen inter ipsos regnaret pietas, postulasse à Ioue, vt se tanto onere leuaret: Iouem autem primò quidem Thebanum bellum excitasse, in quo multi perierunt, deinde verò Momi vsum consilio, quod* Διὸς βουλὴν *Homerus nuncupat. Cùm autem fulminibus aut diluvijs totum humanum genus posset perdere, hoc Momum impedijsse, propositæque Thetidis* θνητογαμία *quam bellum inter Græcos ac barbaros subsecutum est, sicque Terra multa sui oneris parte leuata est.* Celebritatem fabulæ indicat pictoris famosi opus apud Plinium, *lib. 34. c. 8. Euphranoris* ALEXANDER PARIS *est, in quo laudatur quòd omnia simul intelligantur. Iudex Dearum, amator Helenæ & tamen Achillis interfector.*

Non defuerunt apud Antiquos qui judicium istud non fabulam modò, verùm Paridis somnium fuisse existimarunt, cui contrarium ac Herculi Prodico euenerit: Hic enim repulsa κακία, vt ait D. Hieronymus ἀρετὴν seu virtutem elegit quam coleret. Paris verò spreta opum atque dignitatum spe, quibus Iuno præesse credebatur; spretâ quoque aut saltem posthabitâ artium industriâ, scientiarum πολυμαθία, ac laudis immortalis gloriâ, libidine accensus illi se totum tradidit. Nihil profectò ex Antiquorum scriptis nobis relictum est, è quo μυθολογίαν eruere non sit facillimum: adeo mens humana non minus in excogitandis fabulis, quam in ijsdem explicandis felix est & fecunda. Illud insuper dissimulandum non est, Eusebium, *in Chronico*, non ad fabulam aut somnium, sed ad historiam hæc omnia referre: Scribit enim Trojam fuisse

euersam

euerſam ob Helenæ raptum, quæ vna fuerat è tribus mulieribus, quæ de forma inter ſe contendebant.

Denique cùm Te, Illuſtriſsime & Excellentiſsime Domine, ſermone gallico non delectari modò, ſed & imprimis inſtructum ſciam; liceat mihi coronidis loco, epiſtolæ latinæ gallicum ſubjungere poëmation, ex eo genere quod noſtrates *Rondeau* dicunt; Quod mira venuſtate paucis verſibus totam hujus judicij hiſtoriam complectitur ejus autor celebris poëta DE BENSERADE:

A la beautè c'eſt trop que tout pretende;
Trois Deïtez de la celeſte bande,
Furent trouuer autrefois ſur cela
Le beau Paris: chacune luy parla,
Comme ſon droit au Iuge on recommande.

Chacune eſpere & chacune apprehende,
Pour obtenir le prix qu'elle demande,
Chacune joint les hauts talents qu'elle á
A la beautè.
Moy, dit Iunon, je ſuis riche & ſuis grande,
Moy, dit Pallas, des Scauans j'ay l'offrande;
Moy, dit Venus, je ſuis belle & par là
Je dois auoir la pomme que voila:
Auſſy l'euſt-elle. Il faut que tout ſe rende:
A la beautè.

Scribebam Patauij, IV. Idus Iunij, die qui Fortunæ ſacer erat olim Romanis, M DC LXXIX.

82-B2943-1

SPECIAL 82-B
2943-1

GETTY CENTER LIBRARY